

## 163.

*Vertrag zwischen dem Kaiser Otto und dem Markgrafen Dietrich, in dem der letztere verspricht und schwört, dem Kaiser beizustehen, besonders gegen den Papst Innocenz, gegen den König Otakar von Böhmen, gegen den Landgrafen Hermann von Thüringen und überhaupt gegen jeden-*  
 5 *mann in der Noth.* Frankfurt, 1212 März 20.

*Gedr.: Mon. German. Leges 2,218 nach Scheid, Orig. Guelf. 3,807 (nach dem inzwischen verloren gegangenen Original des Welfischen Hausarchivs). Böhmer-Ficker 472.*

Hec est forma conventionis facte inter O[ttonem] invictissimum Romanorum imperatorem semper augustum et Thidericum marchionem Missenensem et Orientis.  
 10 Predictus marchio Misnie fide data promisit et iuravit, quod abhinc, ut in antea, domino imperatori assistet et eum iuvabit, specialiter contra papam Innocentium in presenti discordia, aut si alias eum iniuste vellet gravare; et simili modo contra Odacrium regem Boemie et H[ermannum] lantgravium Thuringie et generaliter contra omnem hominem viventem, in omni necessitate sua; et quod nunquam eum deseret et hec omnia bona fide  
 15 observabit sine fraude et malo ingenio. Ut autem hec conventio firmitus observetur, pro eo et cum ipso et de sua voluntate et mandato similiter data fide promiserunt et iuraverunt nobiles et homines sui: Gevehardus de Quernvorde comes, Burchardus de Mannisvelt comes, Henricus de Schwartzburc comes, Cunradus de Zana, Henricus de Chorun, Burchardus de Glinde, Guntherus de Rochisberc. Et hoc idem data fide promittent et  
 20 iurabunt alii nobiles infendati sui: Hermannus advocatus de Salik, Iohannes de Lubin, Henricus de Scuditz, Dudo de Domo, Harmannus de Lobdiburc, Erkinboldus de Wizenveltz. Hoc idem eodem modo fide data promiserunt et iuraverunt Albertus dapifer de Burne, Cunradus pincerna, Gotzwinus de Branditz, Bodo de Ilburc, Otto de Liechtinagin. Et hoc idem eodem modo iurabunt alii sui ministeriales, scilicet Henricus de  
 25 Chamborc, Conradus de Landisperc, Otto advocatus de Ilburc, Otto de Pouch, Henricus de Sladebach, Eckehardus et Henricus fratres de Crozne, Cunradus de Cleberc. Sub hac forma et conditione data fide promissum et iuratum est, et ab hiis, qui nondum iuraverunt, data fide promittetur et iurabitur, ut, si aliquo modo, quod absit, marchio Misnensis, secundum quod promissum et iuratum est, non observaret, omnes intrabunt  
 30 Bruniswic, et inde nunquam recedent sine domini imperatoris licentia et voluntate. Insuper ad maiorem securitatem predictae conventionis observande, filios ministerialium suorum tredecim marchio Misnensis domino imperatori pro obsidibus dabit, scilicet filium Gevehardi de Zurbeke, filium Wolcmari de Chanburc, filium Borhardi de Trebezin, filium Ludolphi de domo Grimme, filium Guntheri de Dewitz, filium Hagenonis de Doblin,  
 35 filium Alberti de Ziznick, filium Friderici Caratz de Donin, filium pincerne Henrici, filium Friderici de Groiz, filium Godefridi Kiseling, filium Thietdoldi de Nidecke. Hec autem conditio observabitur de obsidibus, quod si marchio, quemadmodum promissum et iuratum est, quod absit, non observaverit, liberam habebit dominus imperator facultatem de ipsis obsidibus faciendi, quod ei placuerit, et erit in eo statu, qui vulgariter vergiselt dicitur.